3 Regni decus, gemmam cleri,
summa salus, auctor veri,
nobis volens misereri,
misit in ausilium.
Salve pastor, lux pastorum,
lima labis, censor morum,
miserator miserorum,
nobis dans solatium.

4 Te vernante mundi status
plaudit, ovat hilaratus,
tuo vultu satiatus,
exprimendo gaudium.
Ovat virtus singularis,
quod virtute sublimaris,
quod virtuti prepararis
sedes et pallacium.

5 Jure virtus illam regit
sedem sibi quam elegit,
quam nec frangit neque fregit
viciorum copia.
Te festivat trina dote,
quam conscendis, summa rotae,
dum laborat illa pro te,
mira donans premia.

6 Digna primum meditaris,
sermo sequens sonat par hiis,
bona demum operaris,
duo complens alia.
Hii sunt gradus quos ascendis,
haec est via per quam tendis,
carens labe, mundus mundis,
alma plenus gracia.

7 Abundanter illam satis
tibi confert numen gratis,
dum exercet pietatis
larga manus opera.
Haec ruenti quam subponis,
manus crebro plena donis,
manus nunquam parca bonis,
quorum levas honera.

8 Vernat ergo tui status,
ad virtutes elevatus,
justus, prudens, temperatus,
fortis, ferens aspera.
Haec est vere via morum,
hic est trames beatorum:
o vere beati, quorum
sunt tam clara munera.

9 Istis rivis debriatus,
hoc liquore satiatus,
fons hoc rore fecundatus,
dignus es memoria.
Cujus nomen venerari,
cujus laudes modulari,
cujus pedes amplexari
jure gaudet Scotia.

10 Ut concludam verbo brevi:
solus nostri sol es evi,
mala mutans manu levi,
merorem in gaudia.
Ergo nostrae carnis moli
jura solvens, mole soli
liber, scandes alta poli
mansurus in gloria.

Ridmus de sancto Toma.

(f. 47—50, von c. 570 Versen, von denen wir nur Anfang und Ende geben).

A. et a. karissimi patris pax et homo,
Quos amplector intimi pectoris in domo:
Vestris vobis precibus nova quedam promo

5,6 concendis Hs. 10,7 scandens Hs.